

tur expresse, nullum est Christi corpore os fractum fuisse, aut comminutum, nec facile percipi possit, quod non fuisset aliquod os fractum, si tribus solum Clavis fuisset Christus crucifixus, utrumque pedem alterum alteri impositum uno solo Clavo longiori et crassiori trajiciendo, probabilius videtur dicendum, quod quatuor, et non tribus solum Clavis fuerit Christi Cruci affixus. (4. Sic tenent Gregorius Turonensis *de gloria Mart. lib. 1, cap. 6.* dicens quod Clavi Dominici quatuor fuerint, scilicet: *Duo sunt affixi in plantis, et duo in palmis.* Summus Pontifex Innocentius III. *Serm. de uno Martyre,* ibi: *Fuerunt clavi quatuor, quibus manus crucifixæ sunt, et pedes affixi;* Ajala in opere *Pictor Christianus, lib. 3. cap. 17. num. 9.*

CLERICUS.

ARTICULUS I. — *Quoad ea, quæ concernunt Clerici nomen, habitum, et tonsuram.*

1. Clerici nomen unde veniat. — 2. Ideo dicuntur Clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent. — 3. Clerici describuntur. — 4. Clericorum nomen bifariam potest sumi; scilicet large, seu generaliter, et stricte seu specialiter, magisque proprie. — 5. Clericorum nomine large, seu generaliter capto, in materia favorabili, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ tonsuræ. — 6. Sive in minoribus, et majoribus ordinibus sint constituti. — 7. Sive etiam sint Canonici Ecclesiarum cathedralium, et collegiarum. — 8. Sive sint in quacumque dignitate constituti, etiamsi sint episcopi. — 9. Sive etiam sint Cardinales. — 10. Imo in materia favorabili veniunt etiam monachi, quoniam et moniales. — 11. Et quantum ad hoc etiam conversi, et conversæ. — 12. Etiam novitii, et novitiæ. — 13. Tertiarii, et tertiariæ mendicantium in congregatione, et communitate viventes. — 14. Item moniales tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem, et cælibem vitam ducentes ex voto castitatis de Ordinarum licentia emisso. — 15. Item eremite habitum eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia episcopi, vel alterius prelati alicui Ecclesiæ, vel eremitorio in communitate, vel separatim deservientes. — 16. Item omnes illi, qui assumpto habitu religioso monialium servituti sunt addicti, et pro illis elemosynas quærent, et prope monasterium, earum more degunt. — 17. Sic etiam laici, qui habitu clericali incedunt, et inserviunt congregationi presbyterorum, qui collegialiter sub certo superiore modo religioso vivunt. — 18. Item equites Sancti Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavaleri di Malta.* — 19. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, veniunt dumtaxat soli inferiores clerici sæculares; non autem Canonici, Abbates, alique in dignitate ecclesiastica constituti; nisi secus exprimat, vel aliunde de opposito constet. — 20. Sic nomine clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque superiores; et multo minus S. R. E. Cardinales. — 21. Nec veniunt Canonici, alique in dignitate ecclesiastica constituti. — 22. Nec etiam nomine clericorum in odiosis veniunt monachi, seu regulares utriusque sexus, nisi istud exprimat, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. — 23. habitum, et tonsuram clericalem gerere tenentur clerici in sacris ordinibus constituti, et etiam clerici inferiores, si beneficium ecclesiasticum habeant. — 24. Imo clerici in sacris, seu beneficiati habitum ordini et dignitati convenientem non deferentes, subjiciuntur gravissimis pœnis, quæ assignantur; ad n. 25. — 26. Clerici vero in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, et beneficia eccle-

et seq. ubi cum pluribus aliis, id asserit; Bellarminus *de septem Christi verbis, in proemio; Rocca de Partic. Crucis, tom. 1. pag. 261.* veteres omnes refert imagines Christi quatuor Clavis crucifixi, Justus Fontaninus Archiep. Ancyranus Dissertat. de *Corona Ferrea* expresse dicit, quod opinio de quatuor Clavis est vetustior, ac propterea digna, ut eam omnes sequantur. Hanc de facto sequuntur Card. Gottus, Serrij, Sandinus, Gretserus, Lambertinus Benedictus XIV. *de Fests D. N. J. C. n. 279.* ipsos allegans, et plura erudite suo more adducens; sicque alii plures, et Græci passim quatuor assignant, singulos singulis manibus ac pedibus Crucifixi.

siastica, seu jus ad illa nondum habentes, non tenentur deferre habitum, et tonsuram clericalem, nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis clericalibus. — 27. Clerici in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit Concilium Tridentinum, et quæ hic assignantur. — 28. Sufficit autem quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino præscriptarum, ut clerici tonsura clericali insigniti, vel etiam in minoribus ordinibus constituti, privilegio fori gaudeant. — 29. Qualitas, et forma habitus clericalis, licet in jure communi non reperiat in omnibus, et per omnia determinata, et stabilita, habentur tamen tum in jure communi, tum in Conciliis, tum in constitutionibus Pontificiis varia præscripta circa habitum clericorum. — 30. In primis enim præscribitur, ne clerici utantur vestibus sæcularibus sub pœna excommunicationis. — 31. Secundo præscribitur, ut clerici pannis rubris, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutiis, frenis, sellis pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur. — 32. Tertio præscribitur, ut clerici fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competat ex officio dignitatis. — 33. Quarto præscribitur, quod clerici non utantur publice veste virgata, vel partita, nisi rationabilis causa subsit; et quid per talem vestem intelligatur. — 34. Quinto præscribitur, ut vestimenta etiam, vel calceamenta clericis, nisi, quæ religionem deceant, uti, aut habere non liceat. — 35. Sexto præscribitur, ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. — 36. Septimo jubentur clerici secundum Aaron talem vestem induere. — 37. Per talem vestem, quid intelligatur; ad n. 38. — 39. De primo ad ultimum vestes clericorum debent sic suo statui esse decentes, ut non sint pomposæ, aut vanam jactantiam, vel superfluitatem redolentes. — 40. Unde Concilium Tridentinum expresse statuit, quod oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. — 41. Caveant igitur clerici, ne nimio cultu in vestitu utantur; scientes quæ detestando eorum culpam scribunt Sancti Patres; ad n. 45. — 44. Laudabilis tamen est decor, et competens vestium ornamentum juxta qualitatem, et dignitatem personarum: dummodo in his redeat clericalis modestia, et caveatur excessus. — 45. Tonsura ecclesiastica secundum divum Isidorum originem sumpsit a Nazaraeis. — 46. Secundum alios originem sumpsit ex quodam facto in sancto Petro Apostolo successo; quod hic refertur; ad n. 47. — 48. Tonsura ecclesiastica fuit in usu usque de tempore Apostolorum. — 49. Reprobatur Calvinus aliter sentiens. — 50. Tonsura clericalis antiquitus fiebat raso desuper capite in modum

sphæræ, et inferius quoque, ita ut patentibus auribus, sola capillorum corona circa caput remaneret. — 51. Progressu tamen temporis introductum fuit, atque hodie ab Ecclesia generaliter receptum, ut dicta corona capillorum a monachis aliisque regularibus, nec non a Romano Pontifice retenta, reliqui Clerici sæculares loco ejusdem coronæ solummodo circulum aliquem modicum in superiori parte capitibus abrasum gerant. — 52. Corona, et tonsura debet esse congruens cujuslibet statui, et ordini; ad n. 53. — 54. Hujus tonsuræ, seu coronæ mystica significatio declaratur. — 55. Clerici in sacris, vel beneficiati, licet in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, si per longum tempus tonsuram, et habitum clericalem non deferant, et comam sine causa nutriant, peccant mortaliter, et subjacent gravissimis pœnis, nec non excommunicationi; ad n. 58. — 59. Dantur tamen plures casus, in quibus habetur justa causa non deferendi habitum, et tonsuram. Primo igitur nullam incurrit culpam, et pœnam clericus incedens absque habitu, et tonsura clericali, quando id facit ex causa justis timoris. — 60. Secundo nullam incurrit culpam, et pœnam, qui non defert tonsuram propter infirmitatem, vel non defert habitum proprio ordini congruentem ratione magnæ paupertatis. — 61. Tertio nullam incurrit culpam, et pœnam, qui domi suæ, atque in occulto habitum clericalem dimittit. — 62. Quarto nullam incurrit culpam, et pœnam Clericus itinerans, vel peregrinans, qui in itinere brevioribus utitur vestibus. — 63. Quinto excusatur Clericus, qui semel habitum dimittit. — 64. Clericorum delectus et regimen episcopis summoere commendatur. — 65. Clerici operam dare debent instruendis fidelibus in doctrina christiana. — 66. Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem theologiæ moralis præmittere tenentur. — 67. Sacerdotum penuria non satis est cause, ut Clerici illiterati ad sacros ordines promoveantur. — 68. Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum. — 69. 70. An Episcopus possit præcipere ut Clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus, ad sacros ordines ascendant. — 71. 72. Christiani vel Clerici sunt, vel laici. — 73. 74. Clerici pro duplici functionum genere sunt duplicis generis. — 75. Gradus Clericorum diversi vocantur ordines. — 76. 78. Primis sæculis Clerici a laicis nec capillis, nec vestibus fuerunt distincti. — 79. 81. Tonsura an data fuerit separatim ab omni ordine. — 82. Probatio tonsuræ quomodo fieri possit. — 83. Occasio, ut Clerici peculiare vestes elegerint, unde tracta sit. — 84. De variâ Ecclesiæ disciplina circa vestem clericalem. *Remissive.* — 85. De veste Clericis convenienti.

ARTICULUS II. — *Clericus quoad privilegium Fori, et Canonis.*

1. Per privilegium fori quid intelligatur. — 2. Per privilegium Canonis, quid intelligatur. — 3. Clerici, et monachi, seu regulares gaudent privilegio fori. — 4. Nomine Clericorum, quantum ad privilegium fori, veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primæ dumtaxat tonsuræ, aut in ordinibus minoribus constituti, sive sint constituti in majoribus ordinibus, aut etiam in dignitate ecclesiastica. — 5. Sic etiam nomine Clericorum, quantum ad privilegium fori, veniunt monachi, et regulares omnes, tam professi, etiam conversi, quam novitii; imo et moniales earumque conversæ, et novitiæ. — 6. Clerici tamen minoristæ non gaudent privilegio fori, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit in ipsis Concilium Tridentinum, et quæ hic assignantur. — 7. Sufficit vero quælibet trium conditionum a Concilio Tridentino requisitarum, ut Clericus tonsura clericali insignitus, vel etiam in minoribus ordinibus constitutus gaudeat privilegio fori. — 8. Unde clericus habens beneficium, gaudet privilegio

fori, licet clericalem habitum, et tonsuram non deferat. — 9. Imo gaudet privilegio fori Clericus primæ tonsuræ, qui beneficium ecclesiasticum a se possessum resignavit, reservata sibi pensione, licet habitu, et tonsura non incedat. — 10. Quinimo Clericus primæ tonsuræ, seu minorista non incedens in habitu, et tonsura clericali, gaudet privilegio fori, nedum quando possidet beneficium, seu beneficium possessum resignavit cum pensione, sed etiam ante adeptam beneficii possessionem, dummodo constet de valida collatione. — 11. Clericus tonsuratus, vel minorista non habens beneficii possessionem, nec titulum, nec pensionem, ut fori privilegio gaudeat, requiritur, et sufficit unum ex tribus infrascriptis, videlicet, quod clericalem habitum, et tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel quod clericalem habitum, et tonsuram deferens in aliquo seminario de licentia Episcopi degat, vel quod in habitu et tonsura incedens in aliqua schola de licentia Episcopi versetur. — 12. Ita tamen, ut habitum clericalem, et tonsuram simul deferat. — 13. Clericus minorista in habitu, et tonsura deserviens Ecclesiæ gaudet privilegio fori, licet non deserviat ex mandato Episcopi. — 14. Sic etiam Clericus inserviens alteri Ecclesiæ, quam cui fuit adscriptus, gaudet privilegio fori. — 15. Imo, licet nulli Ecclesiæ esset adscriptus, talis clericus alicui Ecclesiæ inserviens, adhuc gauderet privilegio fori; ad num. 16. — 17. Clericus, si habitum a se gestari solitum, aliqua occasione ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittit. — 18. Sic Clericus beneficiatus solitus incedere in habitu, et tonsura, licet aliquando talem gestationem intermiserit, non incidit in pœnam privationis beneficii impositam a Sixto V. nec amittit fori privilegium. — 19. Imo Clericus beneficio privatus ex bulla Sixti V. eo quod habitum, et tonsuram non detulerit, fori privilegium non amittit ante latam a iudice ecclesiastico declarationem super facto, vel delicto, id est quod habitum, et tonsuram clericalem minime gestaverit. — 20. Clericus non beneficiatus, solitus tamen Ecclesiæ inservire, et in habitu, et tonsura incedere, si noctu, vel interdum in habitu laicali deprehendatur cum armis, gaudet privilegio fori. — 21. Clericus gaudet privilegio fori non obstante irregularitate contracta ob homicidium. — 22. Clerici enim non possunt citari ad forum laicale. — 23. Clericus, qui post commissum delictum, sine ulla fraude clericatum assumpsit, gaudet privilegio fori, tam quoad personam, quam quoad bona. — 24. Si vero post commissum delictum in fraudem clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio fori quoad personam. — 25. At non gaudet privilegio fori, quoad bona, si iudex laicus post commissum delictum, ante illius promotionem, prævenit in causa. — 26. Iudex tamen sæcularis præveniens non potest in bonis talis Clerici procedere, nisi postquam iudex ecclesiasticus pronuntiaverit eum in fraudem curiæ sæcularis promotum fuisse. — 27. Clericus, qui dimisso habitu, et tonsura deliquit, et postea habitum, et tonsuram sumpsit, et Ecclesiæ inservivit, gaudet privilegio fori, nisi reassumpserit habitum in fraudem. — 28. Ad iudicem ecclesiasticum spectat declarare, an ipse Clericus reassumpserit habitum in fraudem, nec ne. — 29. Et ad hoc adducitur notabilis cujusdam casus decisio. — 30. Quinimo Clericus, etiamsi propria auctoritate habitum clericalem reassumat post delictum et processum, et fidejussionem det de se præsentando coram iudice laico, gaudere debet fori privilegio, et est liberatus a jurisdictione iudicis laici quoad personam. Quod si subsit fraus, quam iudex ecclesiasticus cognoscere, et declarare debet, potest iudex laicus processui finem imponere, et contra illum realiter quoad bona procedere. — 31. Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum, fori privilegio gaudet. — 32. Clericus reassumens habitum, et tonsuram post præsumptum delictum a se commissum,

gaudere debet privilegio fori ecclesiastici, tam quoad personam, quam quoad bona; etiam ex constitutionibus regni. — 55. Et Clerico licet reassumere habitum absque alia licentia Episcopi. — 54. Si tamen Clericus voluntarie, et expresse deponendo habitum, ipsum renuntiet in actis curiæ episcopalis cum acceptatione, et approbatione, et cum declaratione, quod absque illius licentia habitum non reassumet, non potest propria auctoritate ipsum reassumere. — 55. At vero, si Clericus in carceribus detentus, aut in alio loco, quem tenet loco carceris, renuntiet privilegio clericalibus, aut beneficiis, poterit habitum reassumere clericalem sine licentia episcopi, et iura ad beneficium renuntiatum, non obstante decreto acceptationis. — 56. Licet Clericus per demissionem habitus, et tonsuræ, ante trinam monitionem, non perderet privilegium fori ex cap. *Contingit* 45. de sentent. excommunicat., tamen Clericus minorum ordinum non beneficiatus, nisi habitum, et tonsuram deferat, et Ecclesiæ inserviat, vel in seminario, aut aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi versetur, perdit privilegium fori sine alia monitione ex Concilio Tridentino, et declaratione Sacræ Congregationis ejusdem Concilii. — 57. Nec ubi adsit, observanda est consuetudo, secundum quam Clerici habitum, et tonsuram deferentes, fori privilegio gaudeant, licet beneficium ecclesiasticum non habeant, nec alicui Ecclesiæ inserviant, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia episcopi versentur. — 58. Clericis tamen non habentibus supradicta requisita Concilii non admittitur perpetuo privilegium fori, sed suspenditur ad tempus. — 59. Clericus non habens requisita Concilii, quamvis non gaudeat privilegio fori ecclesiastici, et forum judicis secularis declinare non possit; tamen si adhuc se gerat pro Clerico, potest puniri etiam ab Episcopo, et est locus præventioni. — 40. Imo potest Episcopus procedere etiam in causis similium Clericorum, in quibus non prævenit. — 41. Clericus re-pertus a curia seculari sine habitu clericali, donec doceat de suo clericatu, in carceribus laicis potest detineri; dummodo non sit notorie Clericus; et, si per octo menses ante carcerationem habitum dimiserit, privilegio clericali nullo modo gaudet, si a curia, ut supra, captus fuerat in tali habitu. — 42. Clericus, qui in habitu, et tonsura se immiscet enormitatibus, et pluribus vicibus, censetur mixtæ monitione renuntiasse privilegio clericali; secus si in habitu laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio. — 43. Clericus in minoribus constitutus recusans frequentare scholas, et Ecclesiam, non potest privilegio fori privari, si adsit probabilis spes profectus. — 44. Clerici filius legitimus ante clericatum susceptus, gaudet privilegio fori, durante vita ejus patris. — 45. Clericus non potest verbis renuntiare privilegio fori, nec judicem laicum sibi constituere; etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat. — 46. Clericus si a prælato suo tertio monitus, non reassumat habitum, et tonsuram, perdit privilegium clericale. — 47. Licet clerici in prima tonsura constituti, vel minoristæ non habentes beneficium ecclesiasticum, aut alias qualitates a Tridentino requisitas, privilegio fori non gaudeant, tamen privilegio Canonis non sunt privati. — 48. Unde percutiens hujusmodi Clericum incidit in excommunicationem Canonis. — 49. Quænam autem personæ gaudeant tali privilegio Canonis, et quænam censeantur illud violare. *Remissive*. — 50. Privilegio fori, et Canonis gaudent nedom Clerici cælibes, sed etiam Clerici conjugati in Minoribus existentes. — 51. Ad hoc tamen, ut gaudeant his privilegiis, debent habere tres conditiones, quæ assignantur. — 52. Clerici conjugati ad hoc, ut gaudeant his privilegiis, debent habere copulative omnes tres supradictas conditiones, quarum una deficiente, nullo prorsus gaudent privilegio clericali. — 53. Clerici conjugati habentes supradictas tres

conditiones, gaudent privilegio fori, nedom in causis criminalibus, sed etiam in causis mere civilibus; ad num. 54. — 55. Imo gaudent privilegio fori in causis mere civilibus, etiam independentibus a criminalibus. — 56. Clerici conjugati non possunt conveniri coram iudice laico. — 57. Unde Clerici conjugati ad solutiones, ad quas de jure tenentur, non possunt cogi, nisi coram iudice ecclesiastico. — 58. Clericum conjugatum carcerantes excommunicantur. — 59. Clericum conjugatum Episcopus tueri debet, ne vexetur a curia laica. — 60. Invocato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio. — 61. Clericus conjugatus indulto apostolico dispensatus ab obligatione incedendi in habitu, et tonsura, gaudet privilegio fori. Clericus conjugatus habens omnia requisita excepto, quod non constat de deputatione ad servitium Ecclesiæ certæ, et particularis, inservens tamen Ecclesiæ in genere, gaudet privilegio fori. — 62. Clericus conjugatus exercens artem mercariam cum mensuris fraudulentis, puniendus est ab Ordinario. — 63. Clericus conjugatus, qui post fugam a trirēnibus, ad quos a suo Episcopo damnatus fuerat ad septennium, ob nova delicta carceratus fuit a curia laicali, remittendus est Episcopo, qui postea remitti faciat ad trirēnes. — 64. Subdiaconus qui in vim dispensationis apostolicæ cum vidua matrimonium contraxit, et pensiones ecclesiasticas obtinet, de jure gaudet privilegio fori. — 65. Clericus conjugatus gaudet exemptione ab oneribus personalibus, et aliis de consuetudine competentibus. — 66. Clericus conjugatus est exemptus ab onere capitacionis tanquam personalis, etiamsi exerceat aliquam artem; dummodo non sordidam, sed honestam. — 67. Non gaudent tamen Clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem. — 68. Sic Clerici conjugati non gaudent exemptione a solutione collectarum, nisi adsit consuetudo contraria. — 69. Nec Clerici conjugati sunt exempti, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, ab impositione taxæ, quæ non sit onus personale. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis, non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem. — 70. Unde Clerici conjugati, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, de jure communi non gaudent exemptione ab hospitalione militum, cum sit onus mixtum. — 71. De jure enim communi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio clericali in rebus, seu bonis suis; ac proinde sicut alii uxorati tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, et tributa. — 72. Clericus conjugatus non habens requisita cap. *Unic.* de Clericis conjugatis in 6. non gaudet privilegio fori. — 73. Unde Clericus conjugatus non incedens in habitu, et tonsura, imo exercens officium gubernatoris armorum, conventus in curia Capitolina, ubi acquievit ad plures actus, sed postea petens gaudere privilegio fori, remittitur a Sacra Congregat. ad eandem curiam Capitolinam. — 74. Clericus conjugatus habens servitium militare, cum functionibus mere militaribus, et laicalibus, non retinet privilegia cap. *Unic.* de Clericis conjug. in 6. — 75. Clericus conjugatus non gaudet privilegio fori, quando non incedit in habitu, et tonsura, aut fuit Capitaneus militiæ, et incubuit mercatura. — 76. Clericus conjugatus numquam incedens in habitu, et tonsura, nec inservens Ecclesiæ, et exercens artem ruralem, non gaudet privilegio fori. — 77. Clerici gaudent privilegio fori de jure divino. — 78. Et probatur primo ex Sacra Scriptura, tum veteri, tum nova. — 79. Probatur insuper variis textibus juris canonici; ad n. 83. — 84. Adducitur ad id Concilium Tridentinum. — 85. Clerici gaudent privilegio Canonis solum jure ecclesiastico, et positivo inducto; ad n. 87. — 88. Clerici omnes, sive in Sacris, sive in minoribus, dimittentes habitum clericalem, et tonsuram ex sola vanitate, et negligentia, non per-

dunt privilegium Canonis ante trinam monitionem. — 89. Perdunt autem statim ante monitionem privilegium Canonis, si ex iniquitate, et malitia habitum clericalem, et tonsuram dimittant, seu deposito habitu, et tonsura clericali enormitatibus se immisceant. — 90. Privilegium tamen fori de jure communi non amittunt Clerici omnes, qui deposito habitu, et tonsura clericali, enormitatibus se immisceant, nisi ter moniti non desistant. — 91. Unde jure communi facilius perditur privilegium Canonis, quam privilegium fori. — 92. De jure autem Concilii Tridentini Clerici minoristæ perdunt hodie difficilius privilegium Canonis, quam privilegium fori; ad n. 95. — 94. Loquendo vero de Clericis in sacris, standum est dispositioni juris communis, quod ipsi non amittant privilegium fori, nisi ter moniti non desistant ab enormitatibus, quibus se immisceant, habitu, et tonsura clericali depositis. — 95. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium Canonis, quam privilegium fori. — 96. Clerici in minoribus constituti, non servantes præscripta Concilii Tridentini non gaudent privilegio fori in causis homicidii. — 97. Etiam expleta poena eodem privilegio privati remanent. — 98. Urum Clerici præscripta a Concilio Tridentino servaverint, ab ordinariis est declarandum. — 99. Simples tonsurati non beneficiati, etiam servantes præscripta Concilii, privantur privilegio fori post duo homicidia. — 100. An admittenda sint ab Episcopis Principum privilegia a summis Pontificibus concessa. — 101. 104. An simplex Clericus, qui privilegium fori amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum, amiserit simul alia privilegia Clericis concessa.

ARTICULUS III. — *Clericus quoad negotia secularia.*

1. Negotium sæculare accipitur tripliciter, scilicet large, stricte, et strictissime. — 2. Negotium sæculare large acceptum quid, et quale sit. — 3. Negotium sæculare stricte acceptum quid, et quale sit. Hoc quamvis permissum sit laicis, Clericis tamen est interdictum. — 4. Clerici vacare debent Republicæ spirituali, laici vero Republicæ temporali. — 5. Negotium sæculare strictissime acceptum quid, et quale sit. — 6. Clericis omnibus in sacris constitutis, aut in minoribus, congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus se immiscere, cupiditatis, et turpis lucri gratia. — 7. Assignatur prima causa, cur Clericis sit interdicta negotiatio. — 8. Assignatur secunda. — 9. Assignatur tertia. — 10. Assignatur quarta. — 11. Clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, et possunt suspendi a divinis; imo et excommunicari, si tertio admoniti non respiciant. — 12. Ultra culpam mortalem, et poenas supra recensitas, Clerici negotiatores, si tertio admoniti, a negotiationibus non desistant, perdunt interim privilegium clericale, quoad bona. — 13. Dantur tamen plures casus, in quibus Clerici negotiationem exercentes nullam culpam, et poenam incurrunr; et assignatur primus casus. — 14. Assignatur secundus. — 15. Assignatur tertius. — 16. Assignatur quartus. — 17. Afferuntur ad rem variæ petitiones factæ Sacræ Congregationi Concilii, et responsiones ab eadem emanatæ; usque ad num. 52. — 55. Afferuntur alia petitiones factæ eidem Sacræ Congregationi, et declarationes ejusdem Sacræ Congregationis; ad num. 45. — 46. Afferuntur alia Sacræ Congregationis Concilii responsio data dubio eidem Sacræ Congregationi proposita a Patre Passerino. — 47. Potest Episcopus prohibere Clericis minorum ordinum, et primæ tonsuræ, ne exercent mercaturam, nec suscipiant apparatus aquæ vitæ, cæræ, tabacci, saponis, vel macinatus. — 48. Ex prædictis Sacræ Congregationis declarationibus satis aperte colligitur, posse Clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium; non autem

negotiationi proprie sumptæ. — 49. Assignatur differentia intercedens inter negotiationem proprie sumptam, et artificium. — 50. Etiam tunc intervenit negotiatio Clericis interdicta, cum quis aliquam rem, v. g. lanam emit, ut suis expensis per mercenariorum, et opificum industriam, et laborem (non autem per semetipsum) aliquid efficiat, scilicet ex lana empta pannum conficiat postea venditurus, ut inde aliquid lucrari possit. — 51. Licet negotiatio proprie sumpta sit Clericis interdicta; tamen artificium, et manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicuntur Clericis; imo ipsis recommendantur. — 52. Nec enim tale artificium, et manualis operatio implicat ad peccatum, sicuti talis negotiatio. — 53. Quinimo tale artificium, et manualis labor, seu operatio ad multa bona inservit; primo enim principaliter inservit ad victum querendum; ad n. 55. — 56. Secundo artificium seu operatio manualis inservit ad tollendum otium; negotium enim est quasi negans otium. — 57. Tertio artificium, seu labor manualis inservit ad concupiscentiæ refrænationem. — 58. Quarto artificium, seu operatio manualis inservit ad evitanda furta, et ad eleemosynas faciendas. — 59. Inter negotia, artes et officia Clericis prohibita, multa alia reperiuntur; primo prohibentur Clerici præsertim beneficiati, aut in sacris constituti agere officium Procuratoris, et Advocati in foro seculari; ad n. 60. — 61. Quod est intelligendum, etiamsi laici essent principes, aut alii magni domini. — 62. Secundo prohibentur Clerici esse principum vices gerentes, vicedomini, cancellarii, locorum præfecti, aut præpositi, iudices, administratores, vel quomodocumque alia ratione officiales. — 63. Tertio prohibentur Clerici, præsertim sacerdotes, ne inserviant laicis in officiis vilibus domus, feminisque nobilibus ancillantur. — 64. Quarto specialiter prohibetur Clericis officium tabellionis, seu notarii publici agere. — 65. Possunt tamen Clerici tam regulares, quam sæculares esse notarii, ac tabelliones in causis fidei pro favore ejusdem. — 66. Possunt etiam Clerici esse notarii Papæ, aut in curia Romana. — 67. Possunt insuper Clerici esse notarii in locis, ubi est consuetudo, præcipue in causis ecclesiasticis, seu spiritualibus coram iudice ecclesiastico. — 68. Fagnanus tamen variis solide adductis sententiis contrariam sequitur, et propugnat. — 69. Quinto est Clericis absolute prohibitum, ne iudicium sanguinis exercent, aut sententiam sanguinis dicent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, et ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur. — 70. Hinc Clerici, seu prælati ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, et debent causas sanguinis laico delegare; idque generaliter, et non specialiter. — 71. Sexto Clerici non possunt præponi ruptuariis, vel ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum. — 72. Unde non possunt Clerici constitui duces, vel capitani militum in bello. — 73. Septimo est prohibitum Clericis, et religiosis publice, seu in scholis vel universitatibus publicis jus civile, et physicam, id est medicinam audire. — 74. Privatim tamen, ac domi in camera non prohibentur religiosi, aut Clerici studere juri civili; præsertim si id faciant pro pleniori intellectu juris canonici ac theologiæ. — 75. Licet sit prohibitum religiosis, et Clericis publice jus civile, et medicinam audire, seu eis studere; non est tamen his prohibitum tale jus civile, et medicinam publice docere, et legere; ad n. 76. — 77. Octavo est prohibitum Clericis artem chirurgiæ exercere. — 78. Sic etiam est ipsis prohibitum artem medicinæ exercere. — 79. Hoc tamen limitatur in casu, quo urgente necessitate, et periculo mortis aliquis Clericus artem medicinæ, et chirurgiæ exerceat ex pietate, et charitate erga pauperes in defectu aliorum medicorum et chirurgorum. — 80. Et de facto indulgetur a Sacra Congregatione Concilii etiam presbyteris, ut possint aliquas compositiones

medicinales facere, ea distribuere in usum pauperum. — 81. Et solet etiam frequenter expediri a Secretaria brevium indultum pro sacerdotibus physicis, ut possint artem medicinæ exercere sine incursu irregularitatis, cum clausula tamen: *Gratis et amore Dei erga omnes, attenta penuria medicorum.* — 82. Et si adesset in brevi alia clausula, quæ ut plurimum apponi solet: *Dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus; a pauperibus vero nihil omnino recipias;* tunc non posset medicus sacerdos a publico conduci mercede conventa. — 83. Clericis est prohibitum exercere tutelam testamentariam, et dativam extraneorum. — 84. Possunt tamen Clerici, si velint, tutelam legitimam consanguineorum usque ad quartum gradum subire. — 85. Non debent tamen administrationem suscipere, nisi accedente superioris licentia. — 86. Quæ licentia, ut solet expediri a Sacra Congreg. Episcop. et Regular. expediri consuevit sub hac formula. *Sacra Congregat., etc.* — 87. Ordinarie tamen talis facultas, et licentia solet concedi Clericis a propriis Episcopis. — 88. Adducitur formula dari solita. — 89. Quo vero ad tutelam testamentariam, et dativam extraneorum, sine Papæ, vel Sacræ Congregationis indulto Clerici ab Episcopo non dispensantur, nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis, et viduis, aliisque miserabilibus personis. — 90. Quoad negotia Clericis vetita, attendenda est constitutio Benedicti XIV. incip. *Apostolica servitutis*, in qua multa statuuntur, quæ assignantur. — 91. Item attendenda est ad rem novissima constitutio fel. record. Clem. XIII. quæ per extensum affertur. — 92. 95. De sæcularibus negotiis Clericis prohibitis. *Remissive.* — 94. Series negotiorum sæcularium Clericis interdictorum. *Remissive.* — 95. 98. De negotiatione quæstuarum. — 99. An recolectio nivis in propriis puteis, ejusque venditio lucri causa pertineat ad negotiationem quæstuarum personalem. — 100. De contractibus a Clericis initis, qui continent negotiationem quæstuarum personalem. — 101. Quidam intelligatur sub physica studio Clericis prohibito. — 102. De notariis, qui inserviunt Papæ, Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, et magistratibus majoribus.

ARTICULUS IV. — *Clericus quoad cohabitationem cum mulieribus, et quoad choreas, larvas, comædias, et alia spectacula publica.*

1. Clerici non possunt frequentare domicilia feminarum. — 2. Imo non solum Clericis est prohibitum frequentare domicilia feminarum, sed insuper est eis vetitum feminas ad sua domicilia admittere. — 3. Quotiescunque mulieres, quæ cum Clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum extraneæ, et famulæ, sed etsi consanguineæ sint, separandæ sunt, et arcendæ ab illorum domibus, licet sint senilis ætatis. — 4. Sinistra autem suspicione cessante, licitum est Clericis, et a jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum matres, avias, materteras, amitas, et sorores, filias fratrum, aut sororum, aliasque stricto naturali fœdere sanguinis conjunctas. — 5. Quinimo cessante suspicione, nedum licitum est Clericis domi retinere supradictas feminas sibi conjunctas naturali fœdere sanguinis; sed etiam alias extraneas pro re domestica sibi valde utiles, et necessarias. — 6. Ætas autem protracta, in qua cessat omnis aliena sinistra suspicio, et mulier, seu famula alias bonæ famæ, et honesta præsumitur cohabitare posse cum Clerico sine periculo incontinentiæ, est ordinarie ætas quinquaginta annorum. — 7. Possunt tamen interdum dari famulæ, seu mulieres tantæ bonæ famæ, et virtutis, ut etiam in minori ætate nullum relinquunt sinistre, et male suspicandi locum; sicut e contra possunt interdum dari aliæ, quæ licet in diæta ætate, aut simili, vel etiam in majori constitutæ, adhuc relinquunt, seu præbeant sinistre suspicandi locum. —

8. Afferuntur ad id exempla, et decisiones Sacrae Congreg. Episcoporum, et Regularium. — 9. Unde remittitur prudentiæ et vigilantæ Episcoporum, ut attenda ætate, qualitate, et morum honestate, tam Clericorum, quam mulierum, seu famularum, eis concedant, vel interdiciant cohabitationem, prout eis melius in Domino expedire videbitur. — 10. Possunt epim Episcopi de jure prohibere presbyteris, et Clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipsis approbata, et absque sua licentia, quam gratis debent concedere. — 11. Dato autem quod mulier esset presbytero, vel Clerico conjuncta in gradu consanguinitatis de jure permissa, et tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab Episcopo impetrandi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus. — 12. Dummodo tamen non sit suspecta, quia in tali casu ob periculum incontinentiæ non posset retineri; etiamsi esset sibi fœdere sanguinis stricte conjuncta. — 13. Clerici non possunt choreas, aut saltationes ducere; nec ubi ducuntur publice interesse. — 14. Clerici non possunt personati incedere, seu larva, aut, ut vulgo dicitur, *Maschera* se tegere. — 15. Talis prohibitio potest ab Episcopo extendi etiam ad regulares. — 16. Clerici vitare tenentur comædias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula, et hoc secundum plurimos classicos doctores sub peccato mortali. — 17. Nec ullo modo possunt Clerici recitare in comædiis profanis, et Episcopi possunt statuere pœnam excommunicationis contra Clericos recitantes in ipsis. — 18. Nec mimis, jaculatoribus, et histrionibus in endere debent. — 19. Et quoad hæc attendenda est novissima Epistola de mandato Sanctissimi directæ Vicario capitulari Aquilano. — 20. Clerici a profanis bacchanalium licentiis specialiter abstinere jubentur. — 21. 31. An Clerici vitare omnino teneantur comædias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula. — 32. Quenam prohibeantur Clericis in tit. *Decret. de cohabitatione Clericorum.* — 33. Prohibito consortii Clericorum cum Agapetis. — 34. 35. Interdicta est Clericis omnis suspecta conversatio cum mulieribus extra domum. — 36. De variis prohibitionibus concubinitus Clericis factis. *Remissive.* — 37. 38. Episcopi adversus Clericos concubinos procedere debent servato ordine præscripto a Concilio Trident. — 39. 44. Assignatur hic ordo. — 45. Quomodo puniatur simplex Clericus concubiniarius, vel fornicarius. — 46. Quinam intelliguntur nomine Clericorum concubiniariorum, contra quos Episcopus ita procedere debet. — 47. 50. De cohabitatione Clericorum cum mulieribus extraneis. — 51. Quoad alia. *Remissive.*

ARTICULUS V. — *Clericus quoad ludos, cauponas, vel tabernas, crapulam, et ebrietatem.*

1. Clericis est severissime prohibitus alearum, seu taxillorum ludus, et maxime ille ludus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur. — 2. Imo non solum legibus ecclesiasticis, et canonicis est ludus prohibitus Clericis; sed etiam legibus cæsareis, et civilibus. — 3. Unde doctores dicunt, quod Clericus lucri gratia, et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter; præsertim si frequenter, aut publice cum scandalo aliorum id fiat. — 4. Secus vero esset dicendum, si privatim, ac sine scandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex redditibus beneficiorum suorum, sed solum in quantitate modica spectato statu suo, et reddituum copia, recreationis causa luserit; ad n. 5. — 6. Ludus schaccorum, seu latruncolorum non est prohibitus Clericis, licet litteratis studio deditis sit minus conveniens. — 7. Sic etiam est Clericis permissus omnis ille ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. — 8. Assignantur inconvenienciæ, quæ oriuntur ex ludis prohibitis. — 9. Ludo tria pretiosa amittuntur, scilicet tempus, pecunia, et devotio, et sæpe conscientia. — 10. Clerici cauponas, vel tabernas, nisi longioris itineris

causa, ingredi prohibentur. — 11. Et tanto minus eis tabernas habere licet. — 12. Tales Clerici, si ter personaliter moniti, non desistant; vel deinde re-assumant; tunc si sint Clerici conjugati, omni carent privilegio clericali; si vero sint Clerici cælibes, carent privilegio clericali solum in rebus, dum incedunt ut Clerici; et si incedant ut laici, carent etiam privilegio clericali in personis eo ipso, et quando in præmissis perstiterint. — 13. Quod tamen procedit, si hujusmodi artes exercent per se, et personaliter; secus si per alium. — 14. Per tabernas autem, et cauponas intelliguntur domus, in quibus panis, vinum, et carnes coctæ, et alia hujusmodi venduntur. — 15. Crapula, et ebrietas sub gravissimis pœnis usque ad suspensionem ab officio et beneficio Clericis interdicta. — 16. Merito sunt statuta tam rigida pœnæ contra Clericos crapula, et ebrietati deservientes; ad n. 17. — 18. Crapula quid sit. — 19. Crapula unde dicta. — 20. Ebrietas quid sit. — 21. Ebrietas unde dicta. — 22. Crapula, et ebrietas licet omnibus prohibeantur, præcipue tamen damnantur in ecclesiasticis; ad n. 23. — 24. 26. An ludus schaccorum referendus sit ad ludum aleæ, Clericisque sit prohibitus.

ARTICULUS VI. — *Clericus quoad arma, et venationem.*

1. Clerici sine justa, et necessaria causa arma deferre non possunt. — 2. Quinimo est Clericis prohibitum arma deferre sub pœna excommunicationis. — 3. Unde inferunt doctores, quod Clerici arma prohibita deferendo peccant mortaliter; ad n. 4. — 5. Sed quoad hoc, et omnia, quæ faciunt ad delationem armorum. *Remissive.* — 6. Venatio frequens, et voluptuosa, præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta. — 7. Venatio, quæ fit cum canibus, et falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamorosa, et illicita. — 8. Unde jure merito observat S. Hieronymus, quod venatores fuisse Sanctos non legitur. — 9. Non minus urgent, quæ contra vitium venationis declamat S. Ambrosius. — 10. Unde neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione. — 11. Clericos arma deferre pro voluptuosa venatione est contra, et non juxta Sacros Canones. Unde Episcopi concedendo Clericis licentiam deferendi sclopum venatorum, non sunt immunes a culpa. — 12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abierit in desuetudinem, et quod contrarius fere ubique invaluerit usus. — 13. Talis excusatio improbat hodie etiam a Sacro Concilio Tridentino. — 14. Afferitur ad id Concilium Mediolanense. — 15. Afferitur Decr. Sacrae Congreg. Immunitatis. — 16. Afferitur, et solvitur instantia. — 17. Quamvis non sit licita Clericis venatio voluptuosa, tumultuosa et clamorosa, et moderata nimis frequenter facta; est tamen eis licita venatio quieta, et moderata raro facta, et non pro sola voluptate venationis, sed vel causa necessitatis, vel causa utilitatis, vel causa honeste recreationis, ad n. 18. — 19. Et hoc venandi genus saltem approbasse videtur Sacra Congreg. Immunitatis; ad n. 21. — 22. Venatio, quæ fit retibus, vel laqueis, moderate et honeste recreationis gratia, et piscatio, et hujusmodi est licita Clericis; ad n. 23. — 24. Dummodo tamen non fiat in solemnitatibus majoribus. — 25. Et neque animo negotiandi. — 26. Et dummodo ab Episcopo eorum ordinario per edictum, vel in synodo, vel alias non prohibeatur. — 27. Licet venatio, et piscatio pro uno, eodemque jure ponantur, tamen inter venationem, et piscationem adest aliquis differentia, quæ assignatur. — 28. Insuper piscatio differt a venatione, non solum tanquam jus magis licitum, et spectaculum minus cruentum, sed quia est magis humilis, et civilis. — 29. Et ideo piscatio ecclesiasticis personis indistincte permissa est, non autem venatio. — 30. Unde reperimus in jure impositas

esse pœnas contra tales venatores, non autem contra piscatores; et assignantur tales pœnæ. — 31. Pœna suspensionis extenditur etiam ad Subdiaconos. — 32. Et etiam ad Clericos minoristas; ad num. 33. — 34. Et ideo laudantur illi ordinarii, qui sub determinatis, et arbitrariis pœnis interdiciunt omnibus suis Clericis hujusmodi venationem, et delationem armorum. — 35. Quæ tamen pœnæ non debent esse nimis rigorosæ, præcipue in prima vice. — 36. Potest vero ab Episcopo prohiberi Clericis delatio sclopi sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, dummodo sint in sacris. — 37. Clerici deferentes arma contra prohibitionem Episcopi, possunt puniri, etiamsi non capiantur in fragranti, sed solum per testes fuerint visi. — 38. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, moderatione, et modestia servata, ac nunquam dimisso habitu clericali in saltu, vel in agro ad vendandas aves recreationis gratia sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed cum eis esset committendum, et dissimulandum. — 39. 40. Sententia asserens omnem quancunque venationem a sacris Canonibus interdictam esse Clericis, magis juri conformis est. — 41. 44. An Clericus deferens arma, quæ statuto sæculari prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris curiæ sæcularis possit. — 45. Prohibitionem venationis Canonibus tot Conciliorum Clericis factam accipiunt communiter Canonistæ de venatione *clamorosa*, et *periculosa*. — 46. Afferitur contraria sententia.

ARTICULUS VII. — *Clericus, quoad immunitatem, et exemptionem.*

1. Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. — 2. Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet immunitate. — 3. Etiam regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in bulla Gregorii XIV, gaudere debet immunitate ecclesiastica. — 4. Imo regularis sacerdos de ordine prioris conventus, et commissarii causæ criminalis extractus ab Ecclesia, ad quam confugerat e carcere ipsius conventus restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. — 5. Clerici non tenentur ad solutionem onerum impositorum pro physico, chirurgo, et ludimagistro. — 6. Clerici non tenentur ad onera, nisi ea sint certa, realia et invariabilia. — 7. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis, et donatis. — 8. Clerici ex solo caractere clericali gaudent exemptione ab impositionibus, collectis, et aliis oneribus. — 9. Etiamsi sint in minoribus, nec habeant requisita Concilii. — 10. Etiamsi in susceptione ordinis protestati fuerint, nolle eximi ab oneribus laicalibus. — 11. Etiamsi sint Clerici solum primæ tonsuræ, sunt exempti ab impositionibus laicalibus. — 12. Etiamsi ipsi Clerici habentes solum primam tonsuram, habitum, vel tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces exstiterint. — 13. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in portione sibi tangente. — 14. Clerici non tenentur ad gabellas, quando per alios, vel per se ipsos absque officii sui detrimento, arti sericæ operam dant cum foliis arborum in propriis bonis existentium. — 15. Clerici in minoribus constituti viventes simul cum eorum patribus non tenentur ad collectas, et alia onera pro bonis sibi donatis, nisi donationes sint fraudulentæ, et uti tales per judicem ecclesiasticum declarata. — 16. Clerici in minoribus etiamsi non se promovere faciant ad ordines sacros, gaudent exemptione ab impositionibus. — 17. Clerici sunt exempti a gabellis laicalibus etiam pro portione colonica. — 18. Clerici non tenentur ad gabellam pro extractione olei recolecti in suis bonis patrimonialibus et beneficialibus. — 19. Clerici cives Romani possidentes bona in territorio civitatis Malleani non tenentur ad solutionem gabellæ extractio